



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Plateæ urbium.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

occupant. Famam & ventum aucupantes
amant salutationes in foro, & vocari ab homini-
bus Rabbi. Matth. 22.

Platea urbium.

IN plateis sicut cinnamomum & balsamum odo-
rem dedi. Quasi myrrha electa dedi suavita-
tem odoris. Eccl. 24. Talis est homo exempla-
ris, religiosus, gressu ac moribus modestiam
genuinam non Pharisaicam spirantibus, omnes
ædificans, & per plateas urbis incedens. Et
hanc etiam bonam pro sæcularibus Concionem
esse dicebat socio suo cum eo plateas obambu-
lans S. Franciscus Seraphicus. *Non defecit de
plateis ejus usura.* Ps. 54. Hoc in Christianis ur-
bibus sæpè verificatur de Judæis circumcisis
propter lucrum à Magistratu toleratis, & etiam
de Judæis incircumcisis, ut vulgò dicitur, sive
baptizatis Christianis. De quibus sicut & de
implicitis aliis sceleribus verificabitur illud Ps.
17. *Ut lutum platearum delebo eos.* Sponsa Cant.
7. *quærit dilectum suum per vicos & plateas.* Tu
Deum tuum in omni loco. *Exi citò in plateam
& vicos civitatis.* Luc. 17. Operarie facer, ut
quæras & adducas animas ad cælestes nuptias,
dextrèque persuadeas, ut nec villas nec juga
boum emens, nec uxorem ducens se ab iis ex-
cusset. Et hic sit scopus excursionum tuarum,
non vana, inutilis ac curiosa conversatio. *Pla-
tea ejus aurum mundum.* Apoc. 21. Si ames in
tali habitare urbe, cur non crebriùs aspiras ad
cælum?

cælum? *Noli circumspicere in vicis civitatis, ne oberraveris in plateis illius, Eccl. 9. Otiosus & vagus Gassen-Tretter. Ne Diabolus occasionem & materiam habeat ad varia te peccata inducendi.*

Palatia.

E*Ram florens in palatio meo, & cogitationes mea in stratu meo, & visiones capitis mei conturbaverunt me. Dan. 4. Sic in Palatiis habitantes sæpè plus phantasiis tetricis, in somniis, aliisque pungentibus curis turbantur, ac habitantes in casis ac tuguriis. Benedictus Dominus Deus Israel, qui dedit David Regi filium sapientem, ut edificaret domum Domini, & palatium sibi. 2. Paral. 2. Sic benedicendus Deus à regni incolis, quibus dedit Regem, qui primò quaerit gloriam Dei, dein sua honesta statumque suum decentia commoda, nec ædificat pompa varia & mox destruit. Unde exhauriuntur æraria, & nummi pro necessariis utilioribusque rebus defunt. Ædificiis à Salomone extractis nil fuit in orbe simile, & tamen jam nec umbra ex iis restat. Sic omnia vanitas. Utinam quia omnis homo ibit in domum aternitatis sue, Eccl. 12. major magnis Dominis cura esset pro mansionibus in vita altera & totâ aternitate habendis. *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt (Palatia, ædes magnificæ) sed beatus populus, cujus Dominus Deus ejus. Pl. 143. Talis populus habitat in religiosorum domibus.**

Cri-